



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enchiridion Theologiæ Pastoralis Et Doctrinæ Necessariæ Sacerdotibus Cœram Animarum administrantibus

Binsfeld, Peter

Avgvstæ Trevirorum, 1609

6. Cap. De Pœnis Simoniacorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40721

CAPVT VI.

DE POENIS SIMONIA-
CORUM.

DE pœnis Simoniacorum vide Extrauagantes communes de Simonia, S. Thomam cum Caietano 2.2. quæst. d. artic. ultimo, Victoriam in 2. part. relectionis de Simonia. Sotum loc. cit. quæst. 8. artic. 1. Nauarr. loc. cit. numero III. & latè Nicolaum Boërium decisione II 7.

Prima Conclusio. Simonia purè mentalis, nō obligat ad restitutionem, vt communiter DD. sentiunt.

Secunda Conclusio. Simonia mentalis, quæ processit ad exterius opus etiam sine pacto nō obligat ad restitutionem. Hæc conclusio est contra quosdam DD. Henricum de Gandauo quodlib. 6. quæst. 26. Adrian. quodlib. 9. artic. 3. Maiorem in 4. d. 25. quæst. 1. & Sotum loc. citat. Conclusio autem posita, est communis DD. vt Nauarr. loc. cit. num. 103. testatur, & eā in specie tenent Panormitan. Innocent. & alij in capit. final. de Simonia. Caietan. Syluest. & Aurea Armilla in verb. Simonia, & alij alibi.

Ratio

Ratio conclusionis, quoniam in re tanti momenti, vbi canones nihil certi declarant, & sunt graues auctores, pœnæ sine causa non sunt ampliandæ, sed restringendæ.

Fundamenta tenentium contrarium soluit. Nauarr. loc. citat. quem videre diligens lector poterit.

Tertia Conclusio. In Simonia tantum conuentionali, id est, quando solum est pactum; & neutra ex parte aliquid datum, vel acceptum, nulla est obligatio restituendi: Quoniam vbi nihil datur, aut recipitur, ibi nihil restituendum est: Si autem temporale sit acceptum, & nihil spirituale adhuc traditum illud restituendum danti.

Quarta Conclusio. Quando acceptum spirituale, nec datum temporale probabilior sententia est, quod non sit obligatio restituendi. Nauarr. loc. cit. nu. 4. & num. III. Cassiod. in decis. 5. de constitut. & hoc seruat stylus Romanæ curiæ eodem attestante, & probatur, secundum oppositum tenentes, non est Simonia Realis, quæ pœnis subiacet, quando tantum temporale datur; ergo etiam non est Realis, quando tantum spirituale traditur: nec potest sufficiens reddi ratio, quare in hoc casu sit, & non in alio. Potest talis tamen puniri pœna extraordinaria, & priuari beneficio.

Quinta Conclusio. Omnis collatio, præsentatio, electio, aut quæuis alia dispositio bene-

Octava Conclusio. Simoniacus in ordine, est ipso iure etiam suspensus, ex Extrauag. 2. de Simonia. & cap. Tanta. eod. tit.

Nona Conclusio. Simoniacus, quando iudicialiter constiterit, incurrit infamiam, & punitur depositione, cap. Inquisitionis, de accusationibus, & 5. quæst. 1. cap. Sanè.

Decima Conclusio. Omnis Simonix cum deliberatione commissæ, pœna est ignis inferni, nisi quis digna pœnitentia eam purgauerit: Quia omnis talis Simonia est peccatum mortale. De alijs legantur DD. citati in suis locis.

CAPVT VII.

DE RESIDENTIA, QVÆ annexa est quibusdam be- nificijs.

RESIDENTIA nihil est aliud, quàm personale ministerium in loco debito, sic residere dicitur in Ecclesia, qui ei debitam seruitutem præstat per se.

Pro intelligentia notandum, quod omnia beneficia non sunt eiusdem naturæ. Quædam de iure, consuetudine, aut fundatione requirunt residentiam: Quædam non,

Mm 4 fed